mutilum subduci literatorum oculis nescio an debuerit;
certè nequiit, contendentibus plerisque, ut ne typos quidem
effugiat; quâ de re cum hactenus dissentiamus, pauci
me, ut vides, lectoribus, quibus ferè contentus scribo
contemnendum præbeo. Et occurris instar omnium, illustris
patriæ gemma, iis quidem de causis, quas modestiæ
tuæ ne obtrudam, ægrè mihi legem dico. Lege, si tantum, inquam vacat et censo. censoria mihi virgo et
virga sic futura, ut cujus me judicii decreto cætera
omnia posthabenda statuam. Vale super sæcula et
mores sæculi morumque decus ϗ τοσον μοι χάρισαι, ut
quantum hic impudentiæ est, benignè condones.

Hagæ Com: IV. Id. Aprilis
CIƆIƆCXXXIX.

Magni nominis Tui
addictissimo Cultori.
C. Hugenio.

D. Gisberto Voetio hactenus mihi
facie ignoto, ab eruditionis verò
ϗ τῆς θαυμαστῆς εὐσεβείας famâ
pridem notissimo, tuis ut meis salutem
verbis dici postulo

(275).

Puteano.

Filio tuo, Vir Amplissime, a militibus nuper nostris, indignis modis accepto, quid facto opus esset per Amanuensem indicari jussi, distractior ipse, ut soleo; imo, sub
apparatus bellicos, ut non soleo. Dum expecto supplicem
libellum, ut operam ipsi meam præstare possim et fidem,
ecce, datam Parenti libero, domumque meam, quando ut
Hagæ ipsam visas, (pulcherrimo sanè situ insignem, quod
hic exprimi nequiit) per Patriæ calamitatem non licet, Lovanii
sisto. Ingredere et censo. nam nec hospite quidem te
contentus sum, unà judicem appello, et, quem πανισοφον
semper statui, etiam in hac ludricâ, certè minus severâ
parte Matheseos, Architectonices magistrum postulo;
ut convictus errorum, quos ingenuè agnoscam, meo
jam non periculo sed damno alijs cautioni sim. Deest
hisce tabulis dissertatiuncula, quâ caussas ædificij et
modos filiis meis, admodum puellis, sed harum rerum
non incapacibus, exponere decreui, ut in promptu
post me habeant, quo defuncti factum hæredes præstent,
fortè eâdem operâ in ~~cæteris~~ veteris Architecturæ
sacræ

© Koninklijke Bibliotheek
KA 45, fols. 96v-97r
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2147

sacra, non uno sæculo variè polluta, lectores manu ducturus
verum et huic incepto adornando, nondum satis otij fuit.
Experiar an quid ab æstate armatâ impetrari possit, cui non
suffecit togata hyems. Tu vale Belgarum summe et me
amae   verè Tuum.
In Castris ad Philippinam   C. H:
Prid: Cal: Quintil: CIↃIↃCXXXIX.

Præstantissimo Tuldeno, si amicitiæ meæ tibi
commemorationem exemplari altero
hujus fabricæ fieri patiatur, plurimum
debebo.

J. Heilersigio,
Principi Guilielmo
à studiis.

Vir doctissime atque humanissime.

(276).

Quam excitandis, stimulandisque puellorum meorum, ut
videtur non infelicibus ingeniis amicam operam navasti
toties et navas, mihi navatam puta, et quibuscumque
officiis potero curaturum, ne te humanitatis poeniteat,
quasi apud ingratum patrem malè collocatæ. In re
literariâ quos progressus fecerint, quos hactenus autores
legerint atque intellexerint, oculatus omnium testis
nosti. quæritur a me, quà pergendum sit. Ad hoc
problema prinsquam respondeo, quæro à te item
mi Heilersieghi, quid censeas, atque ut de omni methodo,
quam inire deinceps expediat, sententiam ad me perscribas,
valde cupio ac rogo. De Ascanio, eadem quæ disseris,
sæpius mecum voluto. quid facias? nisi ut fidem
ubique tuam ac diligentiam præstes, probè mihi per-
spectam, atque omnibus probis. cæteros, ut in aulis
rarò desunt, quorum in virtutes alienas πονηρὸς ὁ
ὀφθαλμὸς, insuper habeto, conscius tibi spartæ nec
proditæ nec neglectæ. Ad ipsum Herculem prodicium
quod attinet, qui propediem Grammaticales, ut sic
dicam, annos excesserit, instare illi hariolor penè proxi-
mam ætatem, quâ se studio monitisque suis adversatum
fuisse seriò seròque congnesturus est. quin ipsi patriæ
ut ad se doloris hujus magnam partem spectare ducat,
satis causæ datum fore. Si fallor, ut verè cupio tanto nos
propitio numini, tanto tibi Heilersigi optime arctiùs
obstrictos prædicabo. Vale et me ama
Ad Philippinam 3. Julii   Tui amantissimum
1639.   C. H.

Wendelino.

© Koninklijke Bibliotheek
KA 45, fols. 96v-97r
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2147